

ipso momento, quo de ea cogitaret, desineret esse  
se homo, & connexio corporis cum anima tolle-  
retur; adeoque prorsus à naturali statu rece-  
deret.

### *Antithesis*

Non in præsentiarum lis est nobis cum omnibus  
iis, qui προλήψεις quasdam innatas defendunt,  
quales sunt generales illæ: nihil fit à se ipso, plu-  
ra requiruntur ad esse, quam ad non esse; Si æ-  
qualibus æqualia addantur, tota sunt æqualia;  
&c. &c. & speciales, in cognitione mentis existen-  
tis nos deducentes, viamque ad alicujus rei cre-  
atæ veram scientiam perveniendi sternentes,  
nempe, ego sum, & Deus existit. Nam hæc prin-  
cipia, si accuratius examinentur, non tam spe-  
ctant ad Physicam, nec Thesi contradicunt.

### *§. II.*

*Omnis ergo cognitio Physica aut  
adventitia est aut factitia.*

*ENDE*

Communi jamque ubique receptâ divisione  
cognitio omnistriplex est. Adventitia, quæ sen-  
suum ministerio, labentibus annis in mente exci-  
tatur, vocatur aliò nomine Experientia.

Factitia, quæ cogitando ex aliis jam notis Ideis  
elicitur a mente, quæ aliò noniine audit Ratio.

Innata tertia est species, quæ in præcedenti §.  
commemorata est.

PRO